

prehendit dissolutionem inhabitantium monachorum, et cernens, quod cum mulieribus intra monasterium loquerentur, in Sambucinam reversus est; et ibidem, licet in conventu zelo quasi pro Curatio^{a)}, quod reliquerat, eum non reciperent, morabatur eligens iudicari potius apud sanctos quam apud iniquos¹³⁾.

Perseverantibus vero Curacensibus in electione proposita, qua sibi Ioachim pręesse^{b)} petebant, venerabilium virorum Ruffi Consentini tunc archiepiscopi, Simeonis abbatis¹⁴⁾ et Ilarii prioris Sambucine, incliti viri Melis de Renda iusticiarii aliorumque nobilium et expectabilium personarum exortationibus pręcibusque Ioachim victus assensit et pro abbate in Curatium reductus est cum gaudio subditorum. Cepit itaque vir fidelis et prudens prudenter et fideliter temporalem substantiam dispensare, sed omnis prudentia eius in spiritalis profectus exercitio versabatur, nullatenus negligere volens gratiam quam accepit; sed meditabatur, eloquebatur et commentabatur in data sibi desuper intelligentia scripturarum, reverens tamen zelum ordinis, in quo stabat, quia non erat ei licitum scribere sine licentia Capituli generalis¹⁵⁾.

Factus autem, ut iam diximus, abbas Curatii, non multo post voluit cum consilio fratrum reddere^{c)} Curatium monasterio Sambucine. Quod Sambucina noluit recipere propter paupertatem, ut dicebat, et inopiam monachorum. Demum per consilium eorum ivit Casamariam et voluit ei reddere^{d)} predictum monasterium. Et illi similiter responderunt sicut Sambucinenses^{e)}. Tunc cum esset in dicto monasterio Casamarię¹⁶⁾, revelatum est ei misterium Trinitatis et scripsit ibi primum librum Psalterii decem cordarum. Tunc temporis papa Lucius erat Verulis¹⁷⁾, ad quem iens postulavit ab eo licentiam scribendi, quemadmodum viderat per revelationem. Qui cum dare nolisset, eo quod durum sibi videretur hoc concedere, adiunxit Ioachim et ait: „Ut credatis, quod dico, hoc vobis sit signum: ecce in proximo capietur Hyerusalem a Sarracenis.“ Non discesserat^{f)} autem homo Dei, nam per multos dies

a) pro carato *Hs.*; procurato *B.*; zelantes quod monasterium Curatii reliquisset *L.* b) pręhesse *Hs.*, *B.* c) redere *Hs.*, redire *B.* d) redere *Hs.*
e) Sambucinenses *Hs.*, *B.* f) disceserat *Hs.*

¹³⁾ Vgl. 1. Cor. 6, 1.

¹⁴⁾ Über Eb. Ruffus und Abt Simon s. o. S. 487.

¹⁵⁾ S. o. S. 492.

¹⁶⁾ Vgl. Lucas, u. S. 539.

¹⁷⁾ Lucius III. ist vom 25. März bis 28. Mai 1184 in Veroli nahe bei Casamari nachweisbar, s. Jaffé-Löwenfeld, Reg. Nr. 15 011—15 050.